

*Joh. Bapt. Costa* de Retrotractione, ut innumeras id genus Disputationes taceam, quales collectæ sunt in *Tomos Disputationum Basileensium*. Tractatus veteres omnes ferè collecti sunt in *Tractatum Tractatum*, vastum opus aliquoties editum. Additus est plenus admodum & diligens Index totum unus volumen absolvens. Sed desidero nimias repetitiones, dum non nucleus Autorum insertus est, sed integri. Cùm tamen sæpissimè inclusi sint plures Auctores de eadem materia, quorum unus pleraque cum altero eadem habet. Recordor me in Tractatu Tractatum aliquando legisse duos de Ludis Tractatus, unum *Paridis de Puteo*, alterius nomen non succurrit. Horum unus alterum ad verbum exscripserat. Ita fit, ut in certis materiis nimis dives sit opus, in aliis verò pauperrimum. Quare imposuit *Drexelio*, qui ei persuasit, ut ipse narrat in *Aurifodina*, hoc opus in Jure, aliorum librorum omnium instar esse.